

rumque grassatores qui itinera frequentata, vel publica obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. Unica vero grassatio in via publica aut vicinali admissa ex declaratione Benedicti XIII sufficit, ut quis publicus latro et grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mortem, aut membrorum mutilationem passi fuerint. Ex qua declaratione inferitur, neminem ob unicum grassationem sine occisione aut mutilatione perpetrata beneficio asyli privari, sed plures postulari, id est saltem duas, nam pluralis locutio duorum numero continetur. 2. Depopulatores agrorum sive nocturni, sive diurni, qui videlicet agros vel vineas depopulantur, et messes fructusque igne devastant aut destruunt. 3. Qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque Coemeteriis committere non verentur; scilicet qui stantes in Ecclesia vel Coemeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium, aut eos mutilant, nec non qui stantes extra Ecclesiam vel Coemeterium occidunt stantes intra Ecclesiam vel Coemeterium, aut ipsos mutilant. Praeterea qui impediunt, ne quis in locum immunem sese recipiat, et qui confugientibus vim inferunt, ipsosque ab Ecclesia vel loco immuni violenter extrahunt vel abducunt. Atque huiusmodi fontes adeo indigni asylo sunt, ut non tantum ejus Ecclesiae quam violarunt, sed cujuscumque alterius Ecclesiae immunitate nequaquam fruantur. 4. Sicarii, seu mandatarii qui mercede conducti alieno jussu aliquem interficiunt, cujuscumque nationis sint, et quamlibet Religionem profiteantur. Imo etiam mandantes, qui certum praemium aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut etiam promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium reipsa patratum fuerit. 5. Qui aliquem occiderit proditorie aut per insidias, vel animo praemeditato ac deliberato, vel etiam in rixa sive cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, sive baculo aut saxo, si tamen ex delicti circumstantiis dignoscatur, huiusmodi ho-

micidia non casu aut necessaria defensione, sed ex odio et nocendi animo ac voluntate prodiisse. 6. Laesae majestatis rei, qui aliquid contra Principis personam vel potestatem moliantur. 7. Qui litteras Apostolicas falsificant: varios falsificandi litteras modos recenset Innocentius III, cap. 5 de Crimin. falsi. 8. Qui conflant, adulterant, aut tondent quascumque monetas aureas vel argenteas etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum et commercium: item qui ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere et erogare praesumunt, ut fraudis conscii atque participes censi possint. 9. Qui in Monte Pietatis, aut aliis ejusdem generis locis administrandis crimen furti aut falsitatis committunt, cujus causa arca pecuniaria ita minuatur, ut poenae ordinariae locus sit. 10. Qui ementito Curiae nomine sese introducunt in alienas domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earum aedium, vel etiam extranei quem ibi forte versari contigerit, dummodo homicidium vel membrorum mutilatio sequatur. 11. Denique haeretici, vel suspecti de haeresi, et judaei qui susceptam antea Religionem Christianam deseruerint. Confer Constitutiones praecipue Gregorii XIV incip. CUM ALIAS, Benedicti XIII Ex quo, et Benedicti XIV OFFICII NOSTRI, in quibus praefata crimina eisdem fere verba excepta reperiuntur.

Leges Imperatorum asylo excludunt adulteros, vel raptos virginum, et eos etiam qui ob profusionem vel luxum bona sua dissiparunt, aut qui dolo malo decoxerunt, vel occultatis rebus propriis decoctum argumentum simularunt. At Gregorius XIV cit. Const. CUM ALIAS, sublatis penitus Praedecessorum ea de re indultis, omnino sancivit, ut ob ea tantum crimina quae suis litteris proponebantur, scelesti homines sacro asylo carerent; idque fecit ad jus uniforme in omnes provincias inducendum. Siquidem praedecessores Pontifices peten-



tibus nonnullis Principibus indulta fecerant, ut etiam in casibus quibusdam ecclesiastico jure non comprehensis asylo abducerentur. Sed tamen postea ob pacta conventa inter Sedem Apostolicam et Summos Principes iterum factum est, ut in aliquibus locis aliqua crimina excepta sint, quae secundum leges communes jure asyli defenderentur.

Quamvis autem qui exceptis criminibus sese inquinaverunt, ecclesiasticae immunitatis beneficio gaudere non debeant, atque ideo extrahi inde possint, ut vel caute custodiantur donec causa cognoscatur, vel ut judici pro meritis puniendi relinquuntur quando cognitum est, eos asylo non juvari; atamen in extrahendis vel tradendis hujusmodi reis, ordo et modus servandus est quem Pontifices constituerunt. Atque in primis abductio rei, non nisi auctoritate Episcopi, et interveniente ecclesiastica persona ab eodem Episcopo deputata, fieri potest: abductus autem reus in Episcopales carceres detruendus est, nec ante Magistratum saeculari tradendus, quam ab Episcopo judicatum fuerit, excepti criminis reum esse. Ut autem reus ab immuni loco deduci, et Episcopi carceribus tradi possit, ea satis indicia sunt, quae ad capturam decernendam sufficere videntur. Sed ut ministris et Officialibus Curiae Saecularis tradi possit, oportet ut ex processu informativo conficiendo ab Ordinario constet de crimine excepto, atque insuper adversus reum extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo patratum fuisse moraliter credi possit, quae quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam. Nec tamen Curiae Saeculari tradendus, nisi exacta receptaque ab ipsius Curiae Ministris obligatione in forma juris valida restituendi extractum Ecclesiae, sub poena excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae, quoties idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Itaque in reo tradendo opportunum erit contestando profiteri juxta caput PRAELATIS de Homicid. in 6. Perro in processu ordinario conficiendo oportet Ecclesiam,

seu ejus Fiscalem, et ipsum reum audiri; agitur quippe de causa Ecclesiae, cujus ratione immunitas constituta est, et interest rei ne possessione immunitatis dejiciatur per qualescumque conjecturas, ac praesumptiones non satis fundatas. Poterit tamen Episcopus summarie procedere, et contra ipsius sententiam neque Curiae Saeculari, neque reo permittitur appellatio, nisi sententia sit notorie iniqua. Solis autem Episcopis ejus rei cognitio, et facultas demandandi extractionem tribuitur, non aliis inferioribus Praelatis, etiamsi propriam habeant Dioecesim, et jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut occurrente casu in loco exempto et nullius Dioecesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur. Illud etiam edictum est, ut si quis vulneraverit aliquem, et Chirurghi ad inspiciendum acciti grave vitae periculum adesse retulerint, percussor e loco immuni in quem se recepit, servatis servandis extractus carceribus mancipetur, ea tamen lege ut Ecclesiae omnino restituatur, ubi is qui vulneratus fuit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vixerit. Donec autem reus in loco immuni versatur, sententia mortis vel alterius poenae corporalis in eum ferri non potest, cap. 6 de Immunit. Eccles.

Competit autem jus asyli non solum Ecclesiis quibuscumque Episcopi auctoritate erectis, licet consecratae non sint, sed simpliciter benedictae, imo licet in eis nunquam celebratum fuerit Sacrificium, aut pollutae sint, aut interdictae, verum etiam competit Ecclesiarum porticibus, atriis, scalis exterioribus, stillicidiis, Sacratio, modo Ecclesiae cohaereat, turri campanariae dummodo ab Ecclesia non ultra triginta passus distet, foribus aut valvis, murisque exterioribus, si quis eos apprehendat vel tangat, vel iisdem adhaereat, aut innitatur: itemque Coemeteriis fidelium sepulturae auctoritate Episcopi dedicatis, quamvis ab Ecclesia sejunctis, Monasteriis et Conventibus, omnibusque locis intra eorum septa constitutis, ac Religiosorum erangis et hospitiiis, Seminariis,



Hospitalibus, aliisque hujusmodi religiosis locis auctoritate ecclesiastica erectis et institutis: demum palatio Episcopi ubicumque situm sit, imo ab Episcopo pro sua Episcopali habitatione conductum; item domibus parochialibus, quae ad ipsam Parochiam pertinent non iis tamen quae a Parocho conductae sunt, nec domibus ipsis parochialibus, si a Parocho locatae laicis fuerint, et a laicis incolantur.

Contra Ecclesiasticae immunitatis violatores gravissimae poenae constitutae sunt. Atque in primis praeter sacrilegii reatum quod contrahunt, nulla sunt atque omnino invalida acta, quae per ipsos aut eorum ministros adversus reos e sacro avulsos loco fiant, ac praeterea quacumque auctoritate et dignitate praefulgeant, excommunicationem majorem ipso facto incurrunt, a qua excepto mortis articulo per solum R. Pontificem absolvi possunt. Absolutio autem ab hujusmodi censura nullius effectus ac momenti est, nisi prius reus eidem Ecclesiae, aut loco a quo fuit abductus, restitatur, et quidem publice restituendus est, ut eo publico poenitentiae actu reparetur injuria per violentam extractionem Ecclesiae irrogata, et fideles debitam locis sacris reverentiam praestari publico exemplo doceantur. Privantur etiam, uti supra innuimus, omni beneficio et jure ecclesiastici confugii et asyli tam apud Ecclesias et loca violata, quam apud alias quascumque Ecclesias aut loca immunia, dum quisque in eo puniendus est in quo deliquit, et frustra legis auxilium invocat, qui in legem ipsam commisit.

Jam vero violatae immunitatis Ecclesiasticae rei sunt: 1. Qui confugientes ad Ecclesiam ejecerint; eo enim ipso quod Ecclesiis immunitas conceditur, jus etiam ad eam confugiendi, et immunitate fruendi concessum esse censetur. 2. Qui impediunt aut prohibent, ne ad reos loco immuni receptos necessaria ad vitam agendam deferantur. Vicissim autem rei ad Ecclesiam confugientes ab omni molestia vel injuria locis immunibus afferenda abstinere tenentur. Mox arma debent de-

ponere, data eis fiducia, quod Religionis nomine, melius quam armorum praesidio muniantur; nec permittendum, ut aliud quid agant, quod sanctitatem loci dedeceat uti in Ecclesia cibum sumere, somnum capere, aut aliis naturae necessitatibus satisfacere, quum hujusmodi actionibus locum congruum designare oporteat, atque hinc justum visum est, aliquo extra Ecclesiam spatio reos tutos esse. 3. Omnes capientes, extrahentes, incarcerantes reos, qui in locum immunem confugerunt, in eoque commorantur; itemque extractionis, aliorumque hujusmodi actuum complices, fautores, mandantes, cogentes, et cooperatores, uti etiam qui reum in loco immuni existentem aut occidunt, aut percutiunt, aut laedunt, aut aliud quodlibet eidem damnum, seu spolium inferunt. 4. Qui dolose, fraudulenter, blandis verbis e loco immuni reum extrahunt vel abducunt, ut ab exsecutoribus justitiae extra locum immunem capiatur. Et olim quidem sic dolose extractus loco immuni restituendus erat. At rei benignitate Ecclesiae abutebantur; namque capti, carceribusque mancipati frequenter proferre solebant sese a loco immuni dolosis blandisque suasionibus abductos fuisse, et dictum perjurio confirmare non verebantur. Itaque Clemens XI, peculiari decreto edito 22 Decembris 1716, mandavit, ut nemini in posterum prodesset fraudulentae aut dolosae extractionis contestatio, sed tantum iis prodesset asyli privilegium, qui ab Ecclesiis locisve immunibus per vim fuissent extracti, aut inde discessissent sub fide salvi-conductus ab aliquo Judice ordinario vel delegato concessi atque subscripti, quo casu salvus-conductus hujusmodi tueretur reum per illud praefinitum duntaxat tempus, pro quo datus est. Ea tamen de re omnes moneri voluit per publicum edictum ab Ordinariis promulgandum, cujus exemplar eidem decreto adjunxit, ut scilicet qui in posterum ad loca immunia confugissent, attente curarent in iis permanere, nec se decipi ullis fallacibus blanditiis, suasionibus, promissis, dolisve paterentur. 5. Judices, Magis-



tratus, carcerum custodes, alique Curiae Saecularis Ministri, qui reum, etiam absque eorum mandato, ab Ecclesia ereptum restituere Ecclesiae renuunt. 6. Item Judices, alique Curiae laicalis ministri et exsecutores, qui in Ecclesiis caeterisque locis immunibus defunctorum cadavera inspicere et recognoscere audent. 7. Demum quicumque iudicium aliquod laicale, et maxime criminale in Ecclesiis locisve immunibus exercent, et generatim laici omnes, qui in Ecclesias, locaque sacra et immunia iurisdictionem sibi arrogant.

---

CAPUT VI.

DE MATRIMONIO.

§ 133.

DE MATRIMONIO GENERATIM ET TOTIUS ARGUMENTI DISTRIBUTIONE.

Sed jam agendum est de Matrimonio, quo quidem nullum arctius vinculum aut sanctius inter homines esse potest. Nam ex Apostolo Sacramentum hoc magnum est, quo non solum conjunctio Christi et Ecclesiae significatur, sed conjugibus etiam ex ipsius Christi meritis atque institutione gratia confertur, per quam naturalis amor perficitur, et indissolubilis unio confirmatur.

Ita fit honorabile in omnibus conjugium et torus immaculatus, filiorum educationi prospicitur, et dulcissimi propinquitatis nexus in humana societate colliguntur. Ex quibus satis intelligitur in hoc Sacramento tractando et exponendo omne studium nostrum ponendum esse. Sunt autem in eo quam plurima et ad fidem, et ad mores, et ad Jus Canonicum forumque ecclesiasticum pertinentia. Et ea quidem quae ad

fidem et mores pertinent, vix attingemus, haec enim jure suo a Theologis et etiam a Scriptoribus Juris publici Ecclesiastici traduntur et propugnantur. Nos reliquis ad Jus Canonicum privatum et ad judicia forensia pertinentibus operam dabimus, atque agemus: I de Sponsalibus; II de Matrimonii ipsius natura; III de Impedimentis; IV denique de proprietatibus et affectibus Matrimonii. Unamquamque autem disputationem in capita et quaestiones distribuemus, ut eorum nihil praetermittamus, quae in hoc amplissimo argumento graviora sunt, et cognitu utiliora.

---

CAPUT VII.

DE SPONSALIBUS.

§ 134.

DE NOMINE ET NATURA SPONSALIIUM.

Sponsalia a *spondendo* seu sponte promittendo nomen habent. « Nam mos fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras, unde sponsi sponsaeque appellatio nata est. » L. 2 et 3 ff. de Sponsal. Itaque sponsalia definiuntur « futurarum nuptiarum promissio can. 3 » caus. 30 quaest. 5, sive ut habet Jurisconsultus lib. 4 ff. eod. « mentio et repromissio futurarum nuptiarum. » At Sponsalium nomen latiori sensu accipiunt Canonistae, eoque intelligunt etiam matrimonium ratum, sive consensum in praesens matrimonium: quam loquendi rationem ex usu Scripturarum profectam esse non ambigimus. « Recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores » inquit Hieronymus in Matth. cap. 4. Hinc vitandae ambiguitatis gratia Sponsalia aut de praesenti, aut de futuro esse dicuntur, et ita quidem